

rum Prædictionum vltima indicaret bene sufficienterq;: Præcipue *Mattbeus*, qui Veteris in Novo Fœdere τελος quam optime monstrat, citatis abundantter Prophetarum Locis: Quod insigniter præstítit initio mox Historie suæ, circa delineandam I. C. NATIVITATEM. Hoc ipsam argumentum nos, tempori inseruientes, elegimus, in qualemque specimen disputatorium. Quod itaque felix faustumque ille noster IESVS esse iubeat, primum ipsorum Vaticinii Iesaiani de CHRISTO verborum sensum atque ἐξηγησιν planam faciemus: deinde eruemus aliqua πορίσματα.

## Ἐξηγησις.

Vaticinium hocce Iesaianicum de *Messia* agere, nemо certe negauerit, nisi qui verbi diuini auctoritatem prostertere temerario audeat molimine: Præterea enim quod locuples Commentator præsto sit MATTHÆVS, in ipsis laudati Dicti verbis notæ huius veritatis sunt quam plurimæ; Immo vix oculis subiicies verba Iesiae, & in ipso frontispicio animaduertes mox, quæ & attentum te, & attonitum reddere queant, sanctumque infigere sciendi desiderium eorum, quæ sequentibus proponuntur.

הנני Ecce! Hæc vox, (Conf. Zach. VI, 12. Luc. I, 31. 38. 44.) ne de הוּא, quod præcedit, dicam, in primo statim limine subinnuit, ea, quæ dicturus est Propheta, admiratione non tantum maxime digna, singularissima & plane miraculosa fore; sed etiam apud ipsos suos, siue auditores, siue Lectores, attentos parare studet eadem animos: Quam ipsam attentionis notam id est, S. litteræ sæpiissime, ubi res magni momenti proferenda est,

præ-